DE PHTHISEOS PULMONUM TUBERCULOSAE CAUSIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRANCISCUS AUST
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
E. HELLER, MED. ET. CHIR. DR.
TH. ZESCHKE, MED. ET CHIR. DR.
C. HAENDLY, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

19th
cent
RC 310.5
A87
1860

AMORIS SPECIMEN AMICIS,

VENERATIONIS GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM FAUTORIBUS

HASCE PAGELLAS

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

E numero omnium aegrotorum, qui mihi intra breve studiorum medicorum tempus in conspectum venerunt, maximae semper mihi fuerunt curae „phthisici“.

Non solum enim miserorum illorum externus habitus valde excitavit misericordiam meam auxiliumque expetiit, sed etiam morbus, qui initio tam obscurus, symptomatibus suis tam formidolosus, immensum victimarum numerum consumit et therapiae pertinacissime resistit, ideoque tanquam monstrum majore attentione et quasi quadam religione et admiratione a me observatus est.

Quum igitur arcanis medicae artis imbutus in nonnullis aliis morbis dolui, pathologiam et therapiam eorum minus esse excultam, tum semper summo dolore sum affectus, quod phthiseos sanandae tam sumus imperiti.

Huc quum accedat, quod ipse multos eosque carissimos propinquos amicosque saevo illo morbo

abreptos lugeo, — „phthiseos pulmonum tuberculosae causas“, quum mos atque instituta majorum requirant, ut ad summum gradum Doctoris consequendum studiorum exhibeamus specimen, — pro dissertationis argumento delegi, quamquam haud ignoro, idem jam a tot tantique nominis viris pertractatum et fere exhaustum esse.

Me vero tironem artis nihil novi scientiae allaturum esse, neminem ignoraturum esse puto; nihilominus id mihi exsequendum sumsi, quod praecipue cordi mihi est.

Neque possum, quin a benevolo lectore — si quis est — ut indulgentia erga me utatur, petam, quod ea solum attulisse videor, quae a praeceptoribus meis illustrissimis optimeque de me meritis et ab aliis literarum nostrarum primatibus de illa re accepi.

PATHOGENESIS.

Primordia phthiseos quae sint, quodsi accuratius novissemus, sanare illam certe majore effectu conaremur. Quae autem de ea re sciamus, nonnisi hypotheses esse dolendum est. Neque prius quam a deposito plasmate illo albuminoso, cui, si formam respicis tuberculorum nomen inditum est, exactior nostra incipit cognitio.

Quae sint materiae ipsius morbosae causae, alii aliud opinati sunt. Qua de re spectatissimus Lorinser[1]) ille, qui de pulmonum morbis observatis optime meruit, his utitur verbis: „Es lässt sich annehmen, dass die Knoten in den Lungen oder die Lungensucht zunächt durch eine Hemmung der normalen Egestion der aushauchenden Gefässe entstehe, worauf die verstimmende Lebensthätigkeit der Lunge und der zurückgehaltene Stoff eine vicariirende krankhafte Absonderung in's Zellgewebe veranlasst, deren Produkt die Materie der Knoten ist." Quam sententiam quum optime ille auctor probet, ma-

[1]) Conf. Lorinser, Lehre von den Lungenkrankheiten. Berlin 1823. pag. 79.

gni momenti esse negare non possumus. Causas enim et externas et internas, quas phthisin provocare pathologi putant, in ea re congruentes esse Lorinser scribit, quod omnino egestionem vasorum pulmonis exhalantium impediant.

Qua cum sententia si comparaveris, quae Caustatt[2]) de phthiseos primordiis suspicatur, minus ea probari posse non inficiaberis, quippe qui e sanguine nutritionis vel irritationis processu massam tuberculosam intra pulmones secerni arbitretur.

Neque minus ex receutibus pathologorum scriptis ea, quae dicit Niemeyer[3]) de hac re, commemoraverim, qui quidem, tubercula in pulmone processu inflammatorio vel inflammatorio simili effici, minus perspicue dicit. Ac subinde affert: „In den meisten Fällen scheint der Tuberkelbildung eine Anomalie der gesammten Vegetation, eine tuberkulöse Diathese, zu Grunde zu liegen", quae verba rei lucem afferre non videntur.

Neque immerito ex omnibus his rebus, nos processus tuberculisationis primam causam exacte nondum perspexisse, colligi potest. Illas tantum causas scientiam nostram amplecti constat, quae aut totum corpus ita commutent, ut „diathesi tuberculosa id affectum esse

---

[2]) Conf. Canstatt, Spec. Pathologie u. Therapie. Edit II. Tom. I.

[3]) Conf. Niemeyer, Krankheiten der Respirations- u. Circulationsorgane. Berlin 1859. pag. 168.

dicamus, aut ipsos pulmones in illum conjiciant statum, qui, ut secernautur tubercula, efficit aut secreta auget.

Quae quum ita sint, haec causarum morbi divisio maxime idonea esse videtur, qua remotae discernuntur et excitantes, alterae enim corporis imbecillum statum — cachexiam tuberculosam — alterae tuberculorum materia ut secernatur efficiunt. Raro autem, immo vero nunquam, alterutrum genus solum phthisi irruenti ansam praebet, sed equidem medicum quovis in casu et praedisponentes et excitantes causas inventurum esse, arbitror.

DE ORIGINE HEREDITARIA.

Ac primum quidem omnium morborum, quibus affliguntur homines, maxime phthisis ad propagationem hereditariam proclivis esse videtur. Cujus rei quum omnium multa testimonia, tum statistica illa scripta „Nosocomii phthisicorum Londinensis“ quartam fere partem eorum, qui se curari passi essent, morbum illum hereditate accepisse memorant.

Neque tamen his argumentis opus est, ut persuasum habeamus, alterutrum parentum cachexia tuberculosa irretitum aut obrutum in posteros proclivitatem ad eundem morbum deferre, quum quotidiana observatione edoceamur. Quamobrem fieri non potest, quin medicus

nostra aetate ex phthisico quolibet statim ab initio, num parentes pulmonum morbo perierint, quaerat.

Quo modo vero morbus ille propagetur, sententiae nuper valde differebant, quae aliqua ex parte ad theoriam phthiseos „contagiositatis“ usque ad hunc diem non plane excultam referri possunt. Qua de re verba aliqua interponere mihi liceat. Baumes[4]) phthiseos virus quoddam esse putat, quod, conceptionis momento cum semine transfusum aut cum materno lacte infantis corpori infusum, postea, facultate data, excolatur et tuberculoseos symptomata efficiat. Hereditatem igitur non nisi infectionis genus esse arbitratur, quae praeterea ex ejus sententia et consortio cum phthisicis et vestium eorum vasorumque usu infectio fieri potest.

Quamobrem triplex contagium esse dicit, contagium et generationis et cohabitationis et atmosphaericum. Lorinser quoque contagium commemorat, quod quasi morbosum quoddam incitamentum pulmonum egestionem normalem impediat.

Tale autem contagium supponi non posse, hodie omnes fere consentiunt, quamquam in decursu phthiseos diuturnae et cum colliquativis excretionibus conjunctae aërem malum insalubremque exoriri, negari non potest. Quem aërem, ut quodque aliud inficiens principium, va-

---

[4]) Conf. Baumes, Von der Lungensucht, übersetzt von Fischer. Hildburghausen 1809. T. I. P. 81.

letudini eorum, qui circa sunt, nocere et in formanda tuberculosi non sine momento esse, quis non concedat?

Et ea re simul illi casus perspicui redduntur, in quibus contagio morbum delatum esse olim arbitrabantur.

Quod vero ad hereditáriam transpositionem pertinet, in eo natura sententiarum auctorum de hac re maxime cernitur, quod doctrina de translatione materiali in dies magis magisque labefactatur.

Ill. Schoenlein[5]) anno 1836 hereditatem sic descripsit: „Wie Entozoen in manchen Familien sich forterben, namentlich der Bandwurm, so ist es auch mit den Tuberkeln. Individuen, die von Eltern erzeugt werden, die an Tuberkeln leiden, haben eine grosse Anlage zu Tuberkeln in demselben Organe, ja sie bringen sogar die materiell nachweisbaren Keime des Tuberkels mit auf die Welt.“

Postea autem jam sententia valde praevalere coepit, quae nostris diebus haud dubie summa auctoritate utitur, translationem phthiseos in mala corporis dispositione positam esse, hereditatem a tuberculosis parentibus proli relictam in sola corporis infirmitate atque telarum teneritate constare, quae occasionem cachexiae suppeditent; neque vulgo tubercula prius formari, quam aliae quaedam causae moventes et excitantes accesserint.

---

[5]) Conf. Schoenlein, Allg. u. specielle Pathologie u. Therapie von einigen seiner Zuhörer herausgegeben. Edit. V. P. 72.

Quodsi interdum in foetu et neonato tubercula inveneris, certa his exceptionibus regulae nostrae nihil obtrectari, neminem latet. Neque praetereundum arbitror, morbum a genitore ad foetum talem transferri videri, qualis ipsum infecerit. Non raro enim hoc mirum potest animadverti, natu minores phthisicorum liberos dyscrasia tuberculosa magis affici quam majores, quippe quibus in procreandis morbum parentum non tantam vim quantam in illorum minorum partu habuisse appareat.

Jam vero de hoc, utrum infans ad patris magis an matris morbos pronus ferri soleat, valde discrepat opinio virorum doctissimorum, nec difficultatem maximam hujus controversiae recte dijudicandae ignoro.

Optime tamen mihi videtur is judicasse, qui, quo similior habitu externo infans sit parenti, eo certius morbi indolem, ait, ab hoc ad illum transiisse.

Tuberculosin igitur a parentibus ad liberos propagatam initio imbecillitate tantum et teneritate constitutionis apparere arbitror. Quae quidem indoles cachectica, quam ad morbum pronos reddere homines et forsan morbum ipsum esse persuasum habeo, minime sui generis est; etenim haec liberorum infirmitas aeque alia ex parentum aegritudine potest emanare. Quorum valetudo syphilide, arthritide, mercurialismo, morbis diuturnis etc. debilitata est, non minus cachecticam illam

corporis indolem in prolem transmittere solent, ex qua facile, nec rarius quam ex illa, de qua supra dictum est, tuberculosin nasci posse, nemo negabit.

Venio jam ad liberos, qui talibus parentibus editi sunt. Ac primum quidem quicunque tam malis auspiciis in lucem prodierunt, hoc commune habere mihi videntur, quod nutritione utantur manca et vitiosa atque habitu, cui nomen „scrophulosi,“ praediti sint. Namque affectiones illae cutis, membranarum serosarum, glandularum, ossium etc. quae nomine „scrophularum“ comprehenduntur, in his infantibus saepissime reperiuntur. Quorum ossa exilia sunt ac minus ponderosa, telae et musculi tenues ac laxi, cutis, per quam venae translucent, alba ac tenera, venter projectus, ne multa—totum corpus parum eos nutriri ostendit.

Nec potest negari, hosce pueros, quibus, quum prima aetate essent, tuberculosis pepercit, per infantiam fere totam scrophulis non liberari, nec raro quum in glandulis aliis tum in glandulis bronchialibus materiam tuberculosam inveniri. Qui ubi primam adolescentiam superaverunt et ad majorem aetatis gradum accesserunt, saepissime tuberculosin, quae jam summa vi in hominem ingruit, non possunt effugere, ac paullo post, quum semel validior factus est ille morbus, praematura morte suis eripiuntur; in hereditaria enim ipsa tuberculosi prognosis est pessima.

Tuberculosis igitur hereditariae quamquam haec est ratio frequentissima explicationis, tamen, qui arbitraretur, quemque tuberculosi obnoxium in pueritia adolescentiaque scrophulis affectum fuisse, magno in errore versaretur. Ac permultis exemplis demonstrari potest, in hominibus, qui per totam infantiam vel pubertatem, nec minus multo post optima valetudine fructi sint, tamen deinde innatam tuberculosis indolem prorsus exstitisse, cui sine ulla spe salutis succubuerunt.

Jam hoc dignum puto, cujus mentio fiat: saepe omnes iisdem parentibus ortos deinceps phthisi tuberculosa perire, (neque immerito propter id ipsum morbum insitum appellamus), parentes tamen usque ad senectutem valere neque tuberculosis neque aliorum, qui corpus conficiant, morborum specimina offerre videmus. Tale quid notandum quoties obvenit, plerique ita explanare solent, ut aut genitalia debilia, aut nutritionem fructus in utero mancam fuisse statuant.

Postremo illud non praetereundum arbitror, quod adhuc debita luce caret, hereditariam phthiseos indolem interdum per aevum totum occultam quiescore videri, ita ut, quum avus neposque in morbum illum inciderint, pater valetudine intacta fruatur.

II. DE CAUSIS, QUIBUS DIATHESIS PHTHISICA PARIATUR

De infirmitate igitur corporis dictum est, quam liberi tuberculosorum parentium hereditate accipiant, quamque fere unum idemque esse ac diathesin tuberculosam, me definivisse arbitror. Disputandum nunc mihi est de altero genere causarum, quae phthisin tuberculosam efficere solent, ea momenta dico, quae homines in optima valetudine natos in illam morbosam diathesin adducunt ac simili modo phthisin procreant. Quas quidem omnes causas Henoch[6]) videtur pulcherrime in unum collegisse, his verbis utens: „Die erworbene Anlage zur Phthisis wird vorzugsweise bedingt durch den Mangel oder die Mangelhaftigkeit der sogenannten integrirenden Lebensreize, des Lichts, der Luft, der Wärme, der Nahrung, nächstdem aber auch durch alle Krankheitszustände, die mit abnormer Chymifikation und Blutbildung einhergehen."

Victus non idoneus.

Ac primum quidem, si a lactationis aetate incipere

---

6) Conf. Canstatt, Specielle Pathol. und Therapie. Supplementband von Henoch. P. 423.

licet, statim corporis constitutionem corrumpi necesse est, quia liberi tam saepe ineptissime nutriuntur. Etenim neonati, sive quod mater lactationis negotio fungi non potest, sive quod praeter lactandum etiam aliud quidquam agere cupit, lacte deteriore, pulte, pane etc. aluntur. Quae nutrimenta quum digestione infantium plane confici non possint, hanc pejorem reddi ac mox aegritudinis vestigia se ostendere videmus, nec minus semen tuberculosis sparsum esse elucet.

Quodsi accedit incommodum mali, humidi ac tenebricosi domicilii etc., saepe pauci menses ad cachexiam tuberculosam eliciendam satis sunt, nec diu habitus ille desideratur, quem jam supra scrophulosum hereditarium nominavi.

Quae vero neonatis nocere ac non raro interitum parare dixi, ad natu majores quoque infantes aeque pertinent; quamquam in corporibus jam corroboratis paullo diutius illud perniciosum moretur necesse est, scilicet ad cachexiam excitandam.

Hoc vero recte tenere mihi videor, momentum mancae nutritionis inprimis esse respiciendum, utpote quae tuberculosam diathesin provocet et in infantibus et in adultis hominibus. Negari quidem non potest, nobis raro tantum occasionem praeberi, effectus pravae sustentationis separatim ab aliis similibus, a domicilio dico et vestimentis vilibus miserisque, observandi, quae

omnia, si in unum conferuntur, quantum ad constitutionem corporis depravandam valeant, quantoque corruptionem maturent, probe intelligo.

Nec debemus ideo mirari, quod iis, quae ad res civiles pertinent, collectaneis certiores reddimur, phthisin tuberculosam inter proletarios multo acrius saevire quam inter nobiliores, ita ut illic triplo amplior numerus hominum quam hic morbo succumbat. Quodsi tenacem, herbis frugibusque constantem victum ac cibos rusticos, farinosos, parum coctos, in mentem vocaveris, quibus ille hominum ordo vitam sustentare solet, facile intelliges, constitutionem corporum non amplius validam et robustam manere posse.[7])

Neque minus bono tantum victu, sed etiam immodico aut nimis stimulante cachexia tuberculosa in juventute effici potest, quum organa digestionis nimis irritentur, cibi non assimilentur, quibus viribus noxiis ille status infirmus, quem supra commemoravi, inducitur.

Aër impurus.

Adde, aërem impurum infectumque haud minoris momenti in formanda tuberculosi esse. Ut enim plan-

---

7) Attamen hujus regulae exceptiones inveniuntur; sunt enim homines, per naturam utique corpore praediti firmissimo durissimoque, qui multos per annos pessimo fruentes victu valetudinem servant optimam.

tae a luce soleque abalienatae et in domos humidas, impuras, parum lucidas deportatae brevi tempore languorem quendam adsciscunt, ut animalia, velut boves et cuniculi, stabulis humidis et obscuris inclusi, tuberculosi corripiuntur, sic homines quoque illa vi opprimuntur.

Quod quidem ita se habere, quotidianus usus docet. Quis enim omnes illos miseros numeret, quibus in carceribus, in ergastulis, in officinis, in auditoriis, in orphanotropheis, in metallifodinis mortis seminium inseritur, quippe qui in illis locis lucis paene expertibus aërem inspirent malum et infectum? Neque minus aëris vitiosa conditio in magnis et frequentibus urbibus, quarum altae domus salubrem aërem arcent, multum ad diathesin tuberculosam pariendam conferre videtur; quamobrem, quod in urbibus plures inveniuntur phthisici quam rure, non mirandum est; nec, in vallibus humidis atque angustis phthisin tuberculosam esse endemicam, mirum nobis videbitur.

Noxius vestitus.

Quantum autem malus vestitus in valetudine depravanda valeat, plurima arguunt exempla, quamquam ipse abusus saepenumero medicum latet. Dico praesertim, infantes saepe sine mente ac ratione fasciis involvi, quod quidem, quominus pectus satis extendatur,

diaphragmatis actio idonea sit et pulmones evolvantur, prohibere, quis non intelligit? Praeterea in mentem mihi venit feminarum vestimentum novi temporis, quod dicimus strophium (Schnürleib). De quo verba facere nolo, quum jam satis superque et ita de hac re disputatum sit, ut hodie ipsae feminae vincula ista adstrictoria maxime nocere persuasum habeant, quamquam, ut ea aboleant, moveri non possunt. Id tantum memorare placet, summopere illud vestimentum iis nocere, quae vitam sedentariam degunt, quum hac ipsa circulationi sanguinis consulendi non multum habeant facultatis.

Veniamus igitur ad aliam diatheseos tuberculosae causam,

Motionis defectum.

Quum bonus victus et purus aër ad salutem sint necessarii, motus corporis quidam idoneus non minus expetitur, ut corpus incrementa capiat et floreat. Motus iterum ac saepius repetitus musculos roborat et sanguinis circulationem auget. Maximi autem momenti est, musculos respiratorios nunquam exercitatione, qua opus est, carere debere, ut thorax et pulmones capacitatem semper et extendendi facultatem asservent, quae optimum est remedium praecavendi secretiones in iis morbosas.

Quanto autem detrimento corpori sit status conti-

nuo sedentarius et proclivis, maxime cernitur in negotiis sartorum, scribarum et textorum, quos omnes phthisi valde obnoxios esse satis constat. Ceterum in his operariis non motionem deficientem solum ad diathesin tuberculosam formandam valere, sed etiam aërem impurum et alia, ex ipsa re consequitur.

Abusus spirituosorum.

Malum, quod jam tantas calamitates in hominum societatem contulit, et in causis est, quae valetudinem evertunt et cachexiam tuberculosam efficiunt, abusus spirituosorum commemorandus mihi est. Etiamsi enim vitium illud detestabile inducta dyspepsia potissimum ventriculum corrumpit et nervorum systematis vim frangit, tamen a priori colligi potest, functionum gravissimarum corporis perturbationes totum organismum perdere et delere. Accedit, quod in praxi quotidiana multos potatores phthisi perire videmus, et James Clark[8]) abusum spirituosorum causam esse phthiseos tuberculosae in inferioribus incolarum Britanniae ordinibus usitatissimam censet.

Causae psychicae.

Ut ad causas veniam, quae ad animum pertinent, cupidites acres, continuas animi perturbationes, in-

[8]) Conf. James Clark, Die Lungenschwindsucht, übersetzt von August Vetter. Leipzig 1836. P. 208.

primis terrorem, angorem, sollicitudinem et diuturnum moerorem saepe phthiseos esse fontem constat. Etiamsi igitur, id quod Doussin-Dubreuil[9]) in scripto de phthisi narrat, homines sanos solo moerore, timore terroreque brevi tempore phthisi interiisse — ut ita dicam — hyperbolicum videtur, negare tamen neque possum neque audeo, tuberculosis processum rebus adversis, desideriis deceptis, amoribus turbatis, propinquorum carissimorum jactura, inprimis apud feminas, accelerari.

Studia quoque nimis assidua in hoc numero sunt et vita sedentaria, quam expostulant, nocent, id quod supra dictum est. Lorinser assiduis studiis pulmones debilitari his verbis etiam physiologice explicat: „Ein Jeder kann an sich selbst wahrnehmen, wie das Athmen immer sehr kurz, klein, leise und kaum hörbar geschieht, sobald die Aufmerksamkeit besonders bei sitzender gekrümmter Stellung auf irgend einen Gegenstand gespannt ist. Die Lungen werden nicht gehörig ausgedehnt und wieder zusammengezogen, ein grosser Theil ihrer Ausdünstungsstoffe bleibt zurück und die Blutbereitung geschieht unvollkommen."

At supersunt nonnulla, quae hoc a loco, qui agit de constitutione depravata, nimirum diathesi tuberculosa effecta, abesse non debent.

---

9) Conf. Doussin-Dubreuil, Ueber die Lungensucht. Deutsch von Carl Fitzler. Ilmenau 1826.

Et quidem iis, quae hucusque exposui, consentaneum est, morbos et humorum jacturas, quae corporis nutritionem damno afficiant, non minus quam malum victum et alia, quae memoravi, tuberculosin gignere. Profecto chronicis ventriculi morbis, quum digestio per longum tempus sit alienata, velut ulcere chronico simplici, oesophagi stricturis etc. corpus in dies magis tabescere videmus.

Itaque saepe accidit, ut hi aegroti non primario morbo pereant, sed phthisi tuberculosa, quam postea adsciveruut.

Eodem modo alios morbos florem vigoremque corporis evertentes, velut diabeten mellitum, chlorosin, syphilidem in stadio tertio phthisin sequi, compertum habemus. Sed etiam morbi acuti, qui, ut humores viresque corporis aut diminuantur aut depraventur, faciunt, occasionem tuberculosi praebere possunt, inprimis morbi typhosi et diuturnae febres intermittentes.

Ex viribus noxiis, quae humorum jacturis bonam corporis valetudinem subruunt, commemoro: crebras et vehementes haemorrhagias, saepe iterata puerperia, lactationem maxime assiduam, ulcerationes diuturnas, praecipue, quae onania fiunt, jacturas seminis multas. Quoties ante omnia vitio ultimo loco dicto phthisis oriatur, certo quidem haud scimus, sed si reputamus, quantopere seminis jactura nimia corpus debilitet et quam

vulgatum vitium illud in omnibus hominum ordinibus observetur, formidabiles onaniae devastationes — scilicet corporum humanorum — fere perspicuae nobis redduntur.

Iam in illo, qui praeterea phthisico habitu praeditus est, omnia haec majore effectu esse, et ipsum lectum nuptialem causam mortis fieri posse, necessario inde sequitur.

III. DE CAUSIS, QUAE IMMEDIATA PULMONUM IRRITATIONE PHTHISIN PROVOCANT.

Iam initio hujus libelli, praeter phthiseos causas, quae omnino eo consentiunt, quod vi vitali depravata corpori diathesin tuberculosam impertiunt, etiam alias esse commemoravi. quae diathesi vel supposita vel deficiente ipsos pulmones morbo afficiant, i. e. ad tubercula secernenda valeant. Laesio igitur pulmonis hac conditione primarium esse videtur symptoma, quod quidem longiore processu, constitutione corporis mala reddita, morbi explicationem obfuscare potest.

Quo in causarum genere omnes pulmonum et bronchiorum injuriae sunt, quae inflammatione et irritatione diuturna excelluut.

Bronchitis igitur saepius repetita, quae catarrhos profusos secum fert, multis vicibus tuberculorum in bronchiorum ramis et vesiculis pulmonalibus — praesertim si jam antea diathesis tuberculosa aderat — fons est. Itaque tussim phthisi exortae praecedentem talem habere debemus, quae nonnunquam morbum ipsum excitet, nec semper ejus symptoma sit.

Pneumoniam vero phthisi excipi posse, notum est; quin caussam esse eam usitatissimam pulmonis inflammati, nonnulli scriptores censuerunt. Qua de re quamquam idem sentire non possumus, tamen non raro in pneumonia, inprimis „crouposa“, exsudatam materiam et telam pulmonis infiltratam tuberculisationis processum subire, constat. Unde species quoque propria tuberculosis nomen trahit, quam dicimus „infiltratam“.

Quod ad genus tuberculosis Niemeyero auctore ii quoque proclives sunt, qui emphysemate laborant. Ille[10]) pathologus ingeniosus de formatione tuberculorum — ut ita dicam — infiltratorum hanc probabilem apposuit conjecturam:

„Verführerisch ist die Annahme, dass das Eintrocknen des Exsudates bei einer unvollständigen Vascularisirung der Alveolenwände zu Stande kommt, welche die Transsudation von Serum behufs Durchfeuchtung des Exsudates erschwert oder aufhebt, oder dass die Gefässe der Lungenzellen durch ein gleichzeitig in das Parenchym gesetztes Exsudat comprimirt würden“.

De Haemoptysi quidem, quae in compendiis plerumque phthiseos causa affertur, nostro tempore judicia peritorum consentiunt, etenim hoc symptoma nun-

10) C. Niemeyer, die Krankheiten der Respirations- und Cirkulationsorgane. Berlin 1859 P. 496.

quam efficiens, semper fere effectum, saepius quoque tuberculorum ratione nulla habita adesse arbitrantur.

Sunt denique multae corporis aegritudines, ex quibus nascitur phthisis tali quidem ratione, ut nonnisi „metastaticam“ eam nominare possimus. Negari enim non potest, interdum febribus exanthematicis, veluti morbillis, variolis, scarlatina superatis vel oppressis, phthisin exoriri.

Quae res quomodo inter se nexae sint et cohaereant, difficile videtur explicatu. Lorinser ad hoc consequendum theoriam, quam supra explanavi, apponit, qua egestionis materiam — scilicet morbillorum etc. — prohibitam in pulmones mitti arbitratur.

Eodem fortasse jure inflammatione vehementi membranarum serosarum, (qualis invenitur in illis morbis) progressa usque ad pulmones ipsos tuberculosin procreari — contendam. Pari fere ratione oppressae secretiones consuetae, velut sudores, ulcera inveterata, fluor albus, inprimis menstruatio et haemorrhoides, quae subito finiuntur, phthisin concitare posse videntur. At quis est, qui dijudicare possit, utrum phthisis suppositae metastasi originem debeat, an ipsa tuberculosi exorta secretio exaruerit?

Ceterum haec res non satis illustrata videtur.

Sed ut ad finem perveniam, nonnulla, quae maxime omnium pulmones ipsos adgrediantur et corrumpant, commemorabo. Atque primum quidem perniciosum est,

aërem continuo inspirare satiatum pulvere arenae, metallorum, aut aliorum hujus generis corpusculorum, quippe quibus respirationis organa sine intermissione irritentur, quo facilius, quam omnibus aliis occasione oblatis, phthiseos origo constitui queat. Hac igitur conditione adversa, quod inter illos opifices, qui in pulverulento impuroque aëre operantur, semper plurimi inveniantur phthisici, non mirabimur; quorum in numero sunt: lapicidae, platearum purgatores, pistores, cementarii, nicotianae fol. praeparantes, caminarii et qui occupati sunt in acubus vel poliendis vel exacuendis.

Additis etiam illis irritationibus pulmonum, quae in functione organi respirationis cernuntur nimis vehemente et accelerata, sicut fieri solet vociferando, clamando, canendo, saltando etc. omnes fere causas, quae ipsos pulmones vexent, me attulisse putaverim.

Denique verba faciam aliqua de illa re in facto posita, quae plurimos eorum, quibus misera phthisi intereundi sors accidit, inter annum aetatis fere duodevicesimum et trigesimum mortem occumbere, docet.

Cuius rei alteram causam in eo positam esse puto, quod hoc in stadio vitae pectoris organa maxime evoluta majore utantur irritabilitate, nec minus vires eorum maxime intendantur. Altera vero causa facile perspicua erit considerantibus nobis, hac aetate maximam partem

causarum, quas in dissertatione mea illustravi, corpus aggredi.

Quo igitur major hostium numerus infirmiorque defensio, eo facilior interitus.

Quas quidem omnes et multas vires noxias ut caveat et a corpore arceat, therapiae est. Curam enim prophylacticam in phthisi fere unum esse videri, quod medicus in morbo sanando facere valeat, valde dolemus.

VITA.

Natus sum Franciscus Aust Longobielaviae, Silesiae vico frequentissimo, die undevicesimo mensis Augusti anni MDCCCXXXVI patre Francisco, quem adhuc vivum summa pietate veneror, matre Helena, de gente Krause, quam optimam grataque mente colendam invida sors mihi ante paucas hebdomades abstulit. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis domi imbutus puer duodecim annorum Gymnasium Glaciense adii, quod sub auspiciis Cel. Schober, viri clarissimi, doctissimi, experientissimi florebat et etiamnunc floret, ibique per octo annos in studia humaniora incubui. Ex viris, qui hic me meaque studia direxerunt, non possum, quin et viri humanissimi Cel. Langer pio animo mentionem faciam, cui nullo non tempore gratias habebo sincerrimas. Testimonio maturitatis academicae instructus auctumnali tempore anni MDCCCLVI Berolinum me contuli et ab Ill. Braun, tunc decano spectatissimo, inter cives Academiae medico-chirurgicae militaris receptus sum.

Per octo semestria hisce scholis interfui:

Philosophicis:

Ill. Braun de botanice;
Ill. Dove de physice;

Beat. Lichtenstein de zoologia;
Ill. E. Mitscherlich de chemia organica et anorganica, de pharmacia;
Exp. Sonnenschein de chemia forensi;
Cel. Preuss de historia Borussica;
Ill. Rose de mineralogia;
Cel. Werder de logice, de psychologia.

Medicis:

Cel. de Baerensprung de morbis syphiliticis, de morbis cutaneis, de febribus exanthematicis;
Cel. Boehm de acinrgia, de tenotomia, de morbis dentium, de vitris ocularibus;
Ill. Casper de medicina forensi;
Exp. Ebert de morbis infantium;
Exp. Elsholtz de morbis simulatis et dissimulatis, de tironum delectu;
Ill. Frerichs de pathologia et therapia speciali;
Ill. Juengken de chirurgia speciali, de laesionibus corporis humani;
Cel. Lauer de semiotice, de therapia generali;
Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus;
Beat. Jo. Mueller de anatomia speciali, de anatomia organorum sensuum, de physiologia speciali, de physiologia generationis;
Beat. Schlemm de osteologia et splanchnologia, de syndesmologia;
Ill. Reichert de histologia et de anatomia comparata, de generatione;
Ill. Romberg de pathologia speciali;
Cel. Schoeller de arte obstetricia;
Ill. Schultz-Schultzenstein de Encyclopaedia medica, de pathologia generali;

Cel. Traube de auscultatione et percussione;
Cel. Troschel de fracturis et luxationibus;
Ill. Virchow de anatomia pathologica, de teratologia.

Exercitationibus practicis me instituerunt:

Cel. Boehm operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis;
Ill. Casper rebus medico-forensibus et arte formulas medicas concinnandi;
Beat. Mueller et Beat. Schlemm arte cadavera rite secandi;
Cel. Schoeller operationibus obstetriciis.
Cel. Traube arte auscultandi et percutiendi;
Cel. Troschel arte fascias applicandi;

Clinicis interfui medicis Ill. Frerichs, Cel. Traube, Cel. Henoch, chirurgicis Ill. Juengken et Ill. Langenbeck; obstetriciis Cel. Schoeller, syphiliticis Cel. de Baerensprung.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Iam tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus psychologus esse debet.
2. Non datur phthisis pulmonalis vera, nisi quae e tuberculis prodit.
3. Epithelioma benignum esse, nego.
4. Haemoptysin nunquam causam sed symptoma potius phthiseos tuberculosae habendam esse, puto.

Collect: A. C. KLEBS
from: Behr
date: 15 24 1914 6/11
c